

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6946

**Auteur(s)** : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Renaud de Dassel, Cologne (archevêque)

**Genre d'acte** : lettre

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1166

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Lettre de Henri II à Renaud, archevêque de Cologne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXII, t. 1, p. 407-408.

## Dissertation critique

Datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Anglie, Reginaldo, schismatico Coloniensi.

Diu desideravi justam habere occasionem recedendi a papa Alexandro et a perfidis cardinalibus suis, qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuariensem archiepiscopum, contra me manutenere presumunt. Unde cum consilio omnium baronum meorum, et cum consensu cleri, magnos viros de regno meo, scilicet Eboracensem, Londoniensem, archidiaconum Pictavensem, Joannem de Oxeneford, Ricardum de Luci, Romam missurus sum, qui publice et manifeste ex parte mea et totius regni mei, et omnium aliarum terrarum quas habeo, proponent et denunciabunt pape Alexandro et cardinalibus ejus ne ulterius proditorem meum manuteneant, sed ita liberent me ab eo, ut alium cum consilio cleri in ecclesia Cantuariensi possim instituere. Denuntiabunt etiam quod quidquid Thomas fecit in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, quod coram eis papa jurari faciat publice quod ipse et successores sui et mihi et omnibus successoribus meis regias consuetudines Henrici avi mei inconcussas et inviolatas, quantum ad se, conservabunt in perpetuum. Quod si forte alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque barones mei, neque clerus meus, aliquam ei ulterius servabimus obedientiam, immo manifeste eum et omnes suos impugnabimus, et quicumque in terra mea inventus fuerit qui ei post hec adherere voluerit, expelletur. Eapropter rogamus vos, sicut carissimum amicum, quatenus fratrem Ernoldum, vel fratrem Radulfum, Hospitalarium, omni occasione remota, cito ad me mittatis, qui ex parte imperatoris et vestra predictis nuntiis meis ducatum prebeat, eundo et redeundo per terram imperatoris.

(Statim sequitur) Visis litteris istis, consuluit Coloniensis imperatorem quid regi Anglie sit respondendum. Rescripsit imperator voluntati regis Anglie esse annuendum, quia quanto solemnus ista fient, si consenserit papa Alexander, tanto major sua erit confusio. Et forte in occulto per alium Templarium vel Hospitalarium, vel aliquem alium a quo caveri non possit, rex Anglie pro pecunia sua idem obtineret. Missus itaque est frater

Radulfus Hospitalarius ad regem Anglie, qui nuntiis quos rex ad curiam mittere disponit ducatum prebuit per terram imperatoris.